



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

18. Cognitio & amor S. Sacramenti.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

Aspirationes.

I. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus. Thren. c. 1. 12.

II. Respice vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus ad redimendum. S. Aug.

III. Hec quanta sint cogitate, hac in statera cordis vestri appendite; & totus vobis figatur in corde, qui totus pro vobis fixus fuit in cruce. S. Aug. L. de Virg.

P A S S U S XVIII.

Cognitio & Dilectio Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti.

T E X T U S.

Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.
Joan. c. 6.

Cognitio.

I. **S**alvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit,

tuit, in quo divitias sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens suorum mirabilium. Concil. Trid. sess. 13. c. 2. Est igitur hoc Sacramentum altaris Sacramentum amoris, quod ipse ex amore nostri instituit; ad quod ex amore invitatur; & cuius finis est, unio amoris.

II. Sumi autem voluit Dominus hoc Sacramentum amoris tanquam spirituales animæ cibum, quo dilectos suos aleret, confortaret, & vitam suam imbueret: Qui manducet me, & ipse vivet propter me. Deinde tanquam antidotum, quo eos à culpis quotidianis liberaret, & à lethalibus noxiis præservaret. Denique tanquam pignus futuræ gloriæ & felicitatis perpetuæ præberet; ad eoque symbolum vivum illius corporis esset, cuius ipse est caput: cuique illos tanquam membra, arctissima, fidei, spei, & charitatis connexionem astringeret.

III. Eum in finem tot ipse miracula in hoc admirabili Sacramento parat: panem in corpus, & vinum in sanguinem suum convertit: simul in innumeris per mundum universum locis præsentem sistit. Tot virtutes exercet; misericordiæ, nos famelicos pascens: liberalitatis, se totum nobis donans: charitatis, se intimè nobiscum uniens. Tot erga nos officia exercet, Pastoris, Medici, Magistri, Redemptoris, Consolatoris, Salva-

toris: ac denique tot ac tanta, amore nostrî,
à malis christianis, hæreticis & infidelibus
patitur.

Dilectio.

O Pastor & Redemptor animarum nostrarum! quanta est vis tui erga nos amoris, quem in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento patefacis? Sanè nisi esset infinitus, tam inaudita non patraret. O Sacramentum amoris, concede mihi, ut arcto tibi amoris vinculo conglutiner!

O pasce me, vivifica me, munda me, & pignus gloriæ perpetuæ mihi tribue, ut tanquam membrum vivum, & tibi capiti nostro, charitate conjunctum arctius Te complectar, ob admirandam hujus mysterii bonorum abundantiam. Tu enim in co, justis gratiam, peccantibus veniam, debilibus robur, lætitiâ mœstis, diligentibus exultationem, nutantibus spem, credentibus pacem, victoriam certantibus, captivis libertatem, atque defunctis requiem largiris.

O vivificum & divinißimum Sacramentum, ostende in me thaumaturgam vim tuam, & muta me in alium hominem. Exerce in me misericordiam, liberalitatem, charitatem, hæcque virtutes tuas mihi imprime. Ostende Te esse animæ meæ Pastorem, Medicum, Magistrum, ut à Te confortatus, sana-

sanatus, illustratus, ex toto corde atque ex
tota anima Te diligam.

Aspirationes.

I. *Memoriam fecit mirabilium suorum,
misericors & miserator Dominus, escam dedit
simentibus se. Psal. 110. 4.*

II. *O praeclarum convivium! ô sacrosan-
ctum mysterium, omni admiratione dignissi-
mum! In quo verus Deus & homo contine-
tur, in quo Christus manducatur & bibitur.
S. Laur. Justin. serm. de Euchar.*

III. *O sacrum convivium, in quo Christus
sumitur, recolitur memoria Passionis ejus;
mens impletur gratiâ, & futura gloria nobis
pignus datur! Ecclesia.*

P A S S U S X I X.

Cognitio & Dilectio Benefi-
ciorum DEI.

T E X T U S.

*Deus dat omnibus affluenter.
S. Jacobi c. 1.*

Cognitio.

I. **I**nnumerabilia tua beneficia, mi Deus,
tam communia, quàm particularia, con-
tem-